

Replebor doloribus usque crepusculum.

Léctio libri Iob

7, 1-4. 6-7

Locútus est Iob dicens:

- ¹ «**N**onne milítia est vita hóminis super terram,
et, sicut dies mercennáarii, dies eius?
- ² Sicut servus desíderat umbram,
et sicut mercennáarius præstolátur mercédem suam,
- ³ sic et ego hábui menses vácuos
et noctes laboriósas enumerávi mihi.
- ⁴ Si dormíero dicam: Quando consúrgam?
Et rursus expectábo vésperam
et replébor dolóribus usque crepúsculum.
- [5]
- ⁶ Dies mei velócius transiérunt quam navícula texéntis
et consúmpti sunt deficiente filo.
- ⁷ Meménto quia ventus est vita mea,
et non revertétur óculus meus, ut vídeat bona».

Verbum Dómini.